



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 16. Apum in furem furor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

vt ad eam auerruncandam proprium Numen destinandum iudicarent: rectius facturi, si verum Numen non offendissent, quod muscas scelerum vltices excitauit.

§. XVI.

Apum in furem furor.

Fortunat.
Presb. in
vita S.
Medardi.
& Sur.
tom. 3.

Sed in exemplis, quæ sacris, quæ profanis videamus, quid muscæ possint. Inter quas & apes computantur, & vespæ, & crabrones, & deniq; minorum gentium examina. De apibus illud tradit Fortunatus presbyter. S. Medardi Ecclesia, inter raris opes, apum aluearia habebat, ea nocturnus fur rapacissimis manibus tollebat. Apes, etsi alioqui, in tenebris, quietæ, tamen vbi lauernionem senserunt, facto agmine, nebulonem aggressæ in fugam vertunt. Neque contentæ, eum à stationibus suis repulisse, fugientem aculeatis stimulis sauciantes pertinacissimè sunt persecutæ, nec à puncturis antè destiterunt, quam reus plagis vndique tumidus, & apibus, toto corpore, circumseptus, ad ipsum D. Medardum, nolens volens peruenisset. Itaque ad sancti pedes supplex prouolutus, crimen fatetur, veniam precatur, opem flagitat. Non sunt ad ignoscendum difficilis

les Diui. Quare & Medardus facile veniam dedit efflagitanti, manuq; extensa, vt Episcoporum mos est, & signo crucis ducto, absolutionem, benedictionemque impertijt. Mira res. Eadem cærimonia Præsul & crimen aboleuit, & abegit apes. quæ illico, homine relicto, ad aluearia sua redierunt. Ita in apibus diuina iustitia supplicij furanti constituit, & quid Sanctorum virtus posset, demonstrauit.

§. XVII.

Apum in urbibus defendendis potentiam.

Demonstrarunt & homines sæculi, tam exigua messe mortalium potentiam, vt etiã toti exercitus possint vel ab apibus profligari. Verum enim est, vt Ammianus Marcellinus ait, quod in distinctis necessitatibus nihil tam leue sit, quod non interdum etiam, contra sperata, rerum afferat momenta magnarum. Ita Themiscyrenses, contra oppugnationem Luculli, se defendisse testatur Appianus Alexandrinus. Pars exercitus, contra Themiscyrenses turribus utebatur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, vt in eis pugna committerentur subterranea. Hos oppidani supernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios vr-

Appiani.
Alex. de
bello Mi-
thrida-
tico.